

HERMANNUS CONTRACTUS

MONACHUS AUGIÆ DIVITIS.

NOTITIA HISTORICA IN HERMANNUM CONTRACTUM.

(Ex Joanne Egone, lib. *De viris illustribus Augiæ Divitis*, apud Pez, *Thesaur.* I, III, 688.)

Hermannus Contractus (sic a membrorum debilitate vocatus), Augiensis cœnobii singulare decus et totius Benedictini ordinis lucidissimum jubar, anno Christi 1015, xv Kal. Augusti, patre natus est Wolferado, comite Veringensi, matre autem Hiltrude. Hic puer in Augiam ductus, cum bonæ quidem indolis esset, ingenium tamen rudius, litterisque addiscendis minus idoneum expertus est. Quare beatæ Virginis opem, cujus singulari patrocinio jam se pridem de-vo-erat, inclamare cœpit, quæ feliciter ingenium illi quantocius impetravit. Hinc brevi tempore linguam Latinam, Græcam Arabicamque ita perfecte addidit, ut quamlibet earum veluti vernaculam pronuntiatet. Poeta sui temporis fuit præclarus, historicus excellens, musicus insignis, philosophus theologusque præstans, mathematicus doctissimus æque ac ingeniosissimus, ita ut laudem illi tunc nemo præripuisse videatur. Tanta enim ingenii dexteritate de astrolabio scripsit, ut a multis ipsius astrolabii inventor haberetur. Composuit primo magna cum diligentia Chronicon succinctum et valde apertum, quod ab exordio mundi ad ævum usque suum, ad annum nempe Christi 1054, perduxit, quod sæpius impressum auctius ab Henrico Canisio tom. I Antiq. Lect. editum est, insertumque tom. XI Biblioth. Patrum; de musica lib. 1; De monochordo lib. 1; De eclipsibus lib. 1; De quadratura circuli lib. 1; De computo lib. 1; De physiognomia lib. 1; De conflictu rhythmomachix lib. 1; De astronomia commentarius, et de compositione astrolabii lib. III; De utilitate astrolabii lib. 1; De Vitis plurium sanctorum lib. 1; Historias sive officia Annuntiationis B. Virginis et S. Mariæ Magdalænæ; Historiam etiam de SS. angelis, sequentias de ascensione Domini, *Rex omnipotens*, etc.; De Assumptione B. Virginis, *Ave, præclara maris Stella*, etc.; De Spiritu sancto: *Veni, sancte Spiritus, et emitte cœlitus*. Responsorium, *Simon Barjona*, etc.; sequentias præterea, responsorias cantilenasque plurimas dictavit, quas inter celeberrimæ et toti Ecclesiæ utiles juxta et gratæ sunt antiphonæ; *Salve, Regina*, etc., *Alma Redemptoris*, etc. Præter ista etiam omnia rhetoricam et poesin Aristotelis ex lingua Arabica in Latinam vertit, multaque alia innumera luculenter

A scripsit; et demum posteaquam virtutibus quidem omnibus egregie invaluit, corpore tamen vix debilia membra sustentans animam Creatori suo, cui unice in hac vita placere studuit, reddidit post partum Virginis anno 1054, et in prædio parentum suorum Adelshusen translatus est.

Tametsi vero hic prolubium mihi esset superseedere concertationibus non necessariis, quia tamen quotidie alii atque alii historias novas semper scribunt, quibus pro arbitrato suo sententias quasvis etiam manifeste falsas ad runusculos populi captandos venditant, existimo satius futurum si ca saltem, quæ de Hermanno nostro ab iis falso asserta sunt, etiam quam brevissime refutarem, ne, si tacerem, nullum argumenta nostra robur, quo nosmet cum Contracto tueremur, credi possent habere.

B Trithemius proinde, monachis Augiensibus immerito iniquior, pluribus locis scripsit Hermannum nostrum San-Gallensem fuisse, quem ejus errorem alii secuti in turpiores etiam lapsi sunt. Nam ut conceptam semel animo falsam opinionem tuerentur, asserere ausi sunt Helericum S. Galli, cæteroqui eruditissimum monachum, Hermanni præceptorem fuisse ac magistrum; eique e vita abeunti in San-Gallensi gymnasio Hermannum substitutum, ut nimirum, si omnia tam belle convenirent atque cohærent, nemo amplius Hermanni monachatum San-Gallensem in dubium revocare, nedum impugnare tentaret. Ne autem videar nullum hujusce commenti auctorem citare posse, jubeo lectorem Jacobi Meckii libellum De episcopis Constantiensibus Germanico idiomate editum adire, ubi ille hanc fabulam rotunde, deque veritate ejus nihil sollicitus enarrat, tamque certam et notam existimat, ut etiam nullum pro se neque argumentum neque auctorem adducat. Unde vero hunc errorem hauserit, mihi nondum liquet. Optarem vero ut scriptores et historici tales quæ sibi incomperta sunt silentio præterirent, nec cum tanto aliorum præjudicio magnam vani honoris existimationem et apud ignaros homines plausum mercari studerent. Quare enim primulum citatus scriptor Helericum San-Gallensem ait Hermannum fuisse magistrum, nullo antiquitatis allato argumento? Nam hoc elicit ex scriptis aliquibus Heler-

rici, aut ipsius Hermanni, aut ex scriptura alia veteri et authentica? Ostendat, si quod ejusmodi reperit, et veritatis radium nobis non invidet, ut et ipsi, quod æquum est, credamus; si autem, quod autumo, nihil tale invenit, quid tam audacter quod nescit affirmat? Sed quid acerbius in hominem invehor, quem opinor errore suo nihil nobis incommodaturum, sed profuturum plurimum? Si enim ego demonstraro Helpericum longe antequam Hermannus in lucem natus sit, mortem obiisse, nunquid non concidet totum ejus fundamentum? Et cum falsum esse probavero Hermannum Helperici discipulum fuisse, annon languescet quoque, si non exstinguatur, opinio, quod putat Hermannum in S. Galli cœnobio monachum fuisse? Ita profecto continget: quo enim fragilior infirmiorque isthæc opinio reddita fuerit, eo nostra fortior certiorque evadet. Siquidem cum falsum apparuerit Hermannum Helperico in schola San-Gallensi successisse, minus dein etiam verum apparebit illam in S. Galli monasterio cœnobitam fuisse. Ut ergo errorem hunc citius deprehendamus, necessarium est pervestigare prius quo ævo uterque, tam Helpericus quam etiam Hermannus, floruerit. De Helperici quidem ætate nihil certius possum scribere quam quod San-Gallenses ipsi scriptores tradunt; maxime vero R. P. Jodocus Mezlerus, antiquitatum sui monasterii scriptor et illustrator egregius, qui in libro De viris illustribus monasterii S. Galli, ubi de Walafrido Strabo tractat, sic ait: *Nostris certe Patres Helpericum et Werembertum fuisse discipulos ejusdem Rabani scimus*, etc. Si ergo Helpericus discipulus Rabani fuit, necesse est fuisse ante annum 847, quo Rabanum archidiœcesi præfectum esse docent Contractus in Chronico, Baronius Annal. tom. X, ad prædictum Christi annum. Hinc vero ulterius colligere licet Helpericum natum fuisse ante annum 828, cum probabile sit, quando Fuldæ e S. Gallo studiorum causa missus est, ad minimum septemdecim annorum fuisse, et duobus aut tribus circiter annis ibidem Rabanum sacras litteras exponentem audivisse, quod, ut dixi, ante annum 847 oportuit fieri. Nam credibile non est Rabanum, jam archiepiscopum gravissimisque curis distentum, scholas habuisse. Hoc ergo veluti fundamento supposito, videbimus præterea quo tempore Helpericus, si Hermanni magister fuit, docere debuisset. Imprimis enim ipse Hermannus in Chronico scribit se natum anno 1013, litteris vero septennem traditum anno 1020. Ergo post annum 1020 adhuc vixit Helpericus, imo diutius, quandoquidem a prædicto scriptore dicitur Hermannus in schola S. Galli Helperico succenturiatus; neque enim Hermannus, septennis adhuc puer gynasio eidem præfui potuit, sed cum jam prudentia valeret, et maturus satis esset, quod ante vicesimum quartum ætatis annum vix contigisse credendum est. Si demus ergo Hermannus 24 annos antequam ludimagister San-Gallensis constitutus sit, reperiemus hoc non potuisse fieri ante annum Christi 1037. Cum

igitur, quod meminisse potest lector, supra probaverimus Helpericum natum circa annum Christi 827, sequetur illum ultra 200 annos vitam suam produxisse, ut jam Germania etiam novum se habere Nestora gloriari possit, neque suum Græciæ invidere debeat.

Et licet sæpè citatus scriptor ætatem Helperico satis longam attribuat, dicatque illum ad nonagesimum septimum usque annum pervenisse, ut forte, quod de Hermanni sub Helperico discipulatu finxit, vero similis appareat; non tamen satis finxit. Si enim vult ut fabulosa ejus opinio subsistat, necesse est ut ad nonaginta sex annos centum et quatuordecim alios adjiciat. Perpendant ergo in quantos errores contrariæ opinionis auctores labantur, dum quam semel de Hermanni professione arripere sententiam, mordicus committunt. Neque verosimile est quod aliqui opinari posset, fuisse forte duos Helpericos apud S. Gallum, quorum unus sub Rabano, alter cum Hermannus floruerit ejusque magister esse potuerit. Dico enim me neminem adhuc legisse qui duos hujusce nominis doctores faciat. Trithemius etiam, cujus ab adversariis fides hic inopere extollitur, unum solummodo Helpericum nominat, quem plerumque Hermannus ætate facit parem, aut etiam supparem et juniorem, præsertim in Catalogo de scriptoribus ecclesiasticis, quem post libros De viris illustribus ordinis nostri scripsit. Ibi enim ait Hermannus vixisse sub Henrico II imperatore, circa annum Domini 1040; Helpericum vero circa annum 1069, sub Henrico III imperatore. Ecce ergo quod neque secundum Trithemii opinionem (quam ipse alias de Hermanni monachatu libenter ut verissimam amplectuntur), Helperico ille in schola San-Gallensi substitui potuerit. Sed quid istis figmentis jam sufficienter improbatis diutius immoror? Prodamus aliquando jam nos quare nobis Hermanni monachatum ascribamus, et cur San-Gallensibus abnegemus. Quod ad nos spectat, dicimus solidiora argumenta ad ejus professionem in Augia emissam probandam non posse produci quam quæ hæcenus Arnoldus Wion et Christianus, Urstisius alique veritatis amantes ex ipsomet Hermannus protulere, qualia sunt quæ habet in Chronico ad annum Christi 1048, ubi sic dicit: *Imperator (Henricus II) Ratispona, ubi Pascha egit, digressus, Alemanniam repetit, et in Augiam nostram ingressus octavo Kal. Maii, novam S. Marci evangeliste patroni nostri basilicam, a domino Bernone abbate constructam, se præsentem a Theodorico Constantiensi episcopo dedicari fecit, et ejusdem sancti festo apud nos octo, Ascensionem Domini Turégi, Pentecostem Soloduro celebravit*, etc. Hæcenus Hermannus, quem fusius de Augia sermocinantem eo libentius audivimus, quo majus hic nobis suæ professionis locum inveniendi lumen præbuit. Tam luculenter enim hic scripsit, ut ea quæ attulimus non indigeant no-tris scholiis illustrari, clarioraque sint quam ut ullo alio interprete opus habeant. Quid enim expressius dicere potuisset, quo se Augiensem

assereret, quam quando dixit : *Imperator Augiam nostram ingressus, S. Marci patroni nostri basilicam dedicari fecit. Festum S. Marci in Augia apud nos egit?* Rectene San-Gallenses, dum narrare vellent imperatorem in Augia festum S. Marci evangelistæ, ejus loci patroni, celebrasse, dicerent : Imperator apud nos festum S. Marci patroni nostri peregit? Si enim ita dicerent, quis, obsecro, non existimaret imperatorem festum S. Marci apud S. Gallum celebrasse, cum econtra Hermannus dicat in Augia hoc factum! Quis etiam non inde colligeret S. Marcum evangelistam apud San-Gallenses esse patronum, ejusdemque sacras reliquias ab iis asservari; cum tamen Hermannus ad annum 830 referat solummodo ad Augiense monasterium delatas? Quoniam vero hæc omnia sunt valde absurda et a veritate alienissima, sequitur a nemine alio istud Chronicon potuisse scribi quam a monacho Augiensi. Cum autem constet Hermannum hujus Chronici esse auctorem, sequitur etiam evidenter illum fuisse Augiæ monachum. Nihilominus tamen, etiamsi ista sint verissima, audiamus quid contra respondeat, qualiterque verba ex Hermanno adducta explicet R. P. Jodocus Mezlerus, qui cap. 26 lib. De viris illustribus S. Galli, ubi de Hermanno tractat, sic disserit : *Allucinantur vero qui putant Hermannum S. Galli monachum non fuisse. Enim vero ex eo quod Hermannus, cum Augiam nominet suam, « Augia nostra, » « imperator Augiam nostram ingressus, S. Marcum nobiscum egit, » similibusque utitur, non plus elicitur quam Hermannum in Augia eo quo imperator advenit tempore fuisse, vel summum illud, Hermannum jam tum in Augiam receptum, stabilitatem suam in ea fortasse firmasse. Bene enim potuit Hermannus in S. Gallo religionem in principio profiteri et dein in Augiam transmeasse, etc. Hactenus ille. Videsne, lector, quomodo nodum hunc duplici telo conetur perstringere. Posteaquam enim animadvertit primum infirmius esse, etiam secundum adhibuit. Ratus est enim primo Hermannum forte tum in Augia hospitatum illi dedicationi cum aliis extraneis interfuisse. Sed etiamsi fugamus hoc factum, non tamen statim hanc ob causam Hermannus Augiam debuit vocare nostram, neque S. Marcum patronum nostrum. Nullus enim hospes et advena, dum vix alterius monasterii limen salutasset, mox ad illud acquireret jus ut, jam proprii monasterii oblitus, illud in quo hospitaretur vocaret suum. Quis ergo non videt Hermannum, dum talibus Augium verbis descripsit, se quoque inter Augiæ monachos numerasse? Cum proinde Mezlerus perspexisset hac prima sua responsione argumenti vim nondum labefactari, adjecit alteram, divinavitque Hermannum potuisse prius apud San-Gallenses professionem emittere, et dein, quando in Augiam transmeavit, ibidem professionem renovasse stabilitatemque firmasse. At cum hoc probationibus careat, gratis asseritur. Licet vero a latis exemplis conetur probare ante et post Hermannum Augienses quosdam ad S. Gallum transiisse, ibique*

A de novo professos esse, non tamen ideo mox asserendum etiam Hermannum quoque et alios id factitasse, cum rationes cur denuo hoc affirmemus possint dari, pro alio non item. Sed si etiam concederemus hoc factum, nihilominus Hermannus magis ad Augienses quam ad San-Gallenses pertineret. Certum est enim illum, si e S. Gallo in Augiam transiit, ibique stabilitatem firmavit, juri suo, quod ad illud monasterium habuit, prius renuntiassè, vicissimque abbatem San-Gallensem cum conventu eundem ab obedientia sua absolvissè liberumque dimississe. Si ergo res ita sese habeat, cur San-Gallenses, qui Hermannum tunc sponte dimiserunt, nunc repetunt et ad se nolentem revocant? Annon Mezlerus paulo supra concedere jussus est Hermannum, postquam in Augiam e S. Gallo transmeavit, ibi stabilitatem suam firmasse? Quomodo autem revocari potest, qui stabilem se in Augia futurum juravit? Noster est ergo, et frustra post tam longam multorum temporum usucapionem repetitur, qui etiam sponte sua ante sexcentos annos indissolubili nexu cum licentia quoque San-Gallensium Augiæ se alligavit. At tandem Mezlerus, ubi neque secundam hanc responsionem animadvertit pro San-Gallensibus stare, in eam denique opinionem inductus est, ut diceret Hermannum in Augia quidem, quando ita scripsit, fuisse, potuisse tamen ad S. Gallum redire, constareque ex Trithemio monachos olim pro pleniore scientia assequenda ad diversa monasteria missos; cumque hoc de discipulis sit certum, de magistris longe fuisse certissimum.

C Opinatur tertio Hermannum e S. Gallo in Augiam jam missum, ut juventutem bonis litteris imbueret. Verum et hæc improbabilis responsio prorsus et veritati consentanea minime est. Nam præterquam quod tantum ad vim argumenti nostri declinandam sit excogitata, probarique aliquo testimonio nequeat, incredibile etiam est hoc contigisse tum quod Augiense monasterium tunc adventitio magistro opus non habebat, cum sub Bernone abbate, editis libris celeberrimo, viris doctissimis ita floruerit, ut omnium scientiarum culmen fastigiumque transcenderet; tum etiam, si denus aliquem a S. Gallo magistrum scholæ Augiensi in subsidium missum, non tamen videtur Hermannus potuisse mitti, qui corpore semper et valetudine infirmus, omniumque membrorum ferme destitutus est usu, sed alius corpore vegetior, et iis omnibus sufferendis accommodatior; tum denique etiam, quod non existimem, Hermannum sui ævi faciliscentissimum, eruditissimumque, e suo monasterio alio fuisse ablegatum, cum sciamus hodieque thesauros pretiosos et raros diligentius custodiri. Sed attendat lector quod ultimo denique contra argumenta nostra abjiciat Mezlerus. Hic cum pensiculatorius robur eorundem examinasset, sensissetque humeros suos graviter premere, neque ostium quo erumperet patere, in omnes se partes anxius versavit, ut grave jugum scapulis suis excuteret. Occasionem demum certam elabendi se invenisse

ratus negare incipit, quæ ex Chronico prædicto adduximus, verba esse ab Hermanno scripta, sed esse ab aliquo alio appendicis loco adjecta, dicitque se in Annalibus suis, a me nec visis nec lectis, hoc demonstrasse.

At si huc tandem veniendum erat, poteram omittere ea quæ hactenus probavimus, poterat et Mezlerus tres a se magno studio excogitatas responsiones præterire, et unico neganti verbo totum argumenti robur deficere, omnemque litem componere. Verum est enim, si ea verba Hermanni non sunt, nos hactenus parum probasse; si autem sint, ut nullus ambigo, verum quoque est nos Hermannum nobis evidenter asseruisse. Licet vero ille dicat se in suis Annalibus hoc demonstrasse, miror tamen certe unde probet. Etenim, si divinare liceat, suspicor illum inde velle colligere quod in Chronico auctiori, ab Henrico Canisio edito, multa reperiantur quæ sint ab aliis interjecta. Et tamen non ignorem hoc verissimum esse, verba tamen illa quæ supra posuimus, certum est esse Hermanni; siquidem in omnibus, quas quidem me videre contigit, editionibus, et antiquis et recentioribus, tam auctioribus quam diminutioribus, reperiuntur, ut nihil etiam de manuscriptis aliis dicam. In nostro certe pervetusto exemplari (quod penes me habeo, quodque ab aliquibus ipsum autographum credebatur, etc.) licet a recentiore manu plura sint apposita, quæ etiam in editionem Canisii irrepsere, verba tamen superscripta continuata et veteri simillimo caractere in ordine suo posita cernuntur. Ostendant adversarii, si tale aliquod vetus manuscriptum habent, ubi hæc verba non inveniuntur. Et licet etiam tale haberent, et ostendere possent, non tamen probabunt supradicta verba ab alio esse superaddita, cum vero simile sit Hermannum Chronico suum non semel duntaxat composuisse, sed post aliquos annos correxisse, et rebus aliis etiam auxisse, prout aperte etiam indicant Urstisius et Canisius, affirmantque illam tam multarum editionum varietatem diversitatemque inde solum oriri. Atque de his fusius hucusque disputavimus, ut scilicet ostenderemus locum quo Hermannus in Chronico Augiensem se insinuavit, non adeo segniter tanquam obscurum, aut Chronicon oviter afflictum et adulterinum esse prætereundum, sed veluti clarum imprimis, luculentum et genuinum esse notandum, ut merito, si etiam aliud argumentum non suppetat, Hermannum nobis astruxisse constare possit. Unde mirum est Mezlerum asserere ex eo loco nihil contra San-Gallenses probari. Ut enim præteream, quod supra uberius pertractavi, unum hoc, quod Hermannus *S. Marcum patronum nostrum* dixerit, ad persuadendum in Angia illum cœnositam fuisse, sufficere Mezlero poterat. Meminisse enim debebat, se supra persimili argumento probasse, Walafridum sub disciplina abbatis S. Galli vixisse, quod videlicet in prologo Vitæ S. Galli eundem vocitaverit *patronum nostrum*. Si ergo Mezlero subinferre licuit neminem S. Gallum *patronum*

A nostrum potuisse dicere, qui patrimonii ejus portio nulla unquam fuerit, cur et mihi non liceat asserere neminem quoque potuisse S. Marcum *patronum nostrum* nominare, qui patrimonii ejus etiam portio nulla fuerit unquam. Et revera inde sequi debuit, quod tamen cap. 12 supra refutavimus, Walafridum San-Gallensem fuisse, multo magis sequi debet Hermannum Augiensem fuisse, cum pluribus et diversis vocabulis uno eodemque loco tam luculenter hoc indicet. Jam vero producant etiam adversarii locum aliquem ex Chronico, quo San-Gallensem illum probent. Forte sicut S. Marcum, ita et S. Gallum vocat *patronum nostrum*, aut ex verbis aliis forsán colligitur fuisse San-Gallensis? Verum ego nusquam quid tale invenio, imo vero potius contrarium non obscure colligo ex eo quod ad annum Christi 977 scribat: *Apud S. Gallum Ymmo abbas præfuit annis octo, qui templum patroni sui adornare studuit*, etc. Quis, amabo, credat Hermannum fuisse San-Gallensem, cum hic consueto abstineat S. Gallum nominare *patronum nostrum*, cum tamen si San-Gallensis fuisset, hic minime oporteret? Cur S. Gallum Ymmonis abbatis solum *patronum* dixit, et suum præterit? Certe non aliam ob causam quam quod non ignoravit Augiensem se esse monachum et S. Marci filium.

Hactenus ergo evidenter ex ipso Hermanno probavimus eum Augiensem non San-Gallensem fuisse. Frustræ igitur nobis Trithemii dissentientis auctoritas obtruditur, qui historiarum diversissimarum varietate obrutus, particularibus istis questionibus examinandis minus insudare potuit. Etenim præter ipsummet Hermannum opponimus Bellarminum Descriptores ecclesiasticis; Antonium Possevinum in Apparatu sacro; Antonium de Yepes Hispanum in Chronico generali ord. S. Bened.; Arnoldum Wion in Lig. Vitæ; Henricum Canisium, Carolum Stengelium, Christianum Urstisium, alicisque innumeros, qui omnes concorditer asserunt, Hermannum Augiensem fuisse monachum; pluresque eorum inde suspicantur Trithemii errorem fuisse ortum, quod forte prima illa et vulgata Hermanni editio ex codice San-Gallensi fuerit transcripta. Hinc etiam non subscindendum existimo Hermannum ubique in veteribus manuscriptis exemplaribus vocari monachum Augiensem, nunquam San-Gallensem, quod Arnoldus Wion disertè testatur. Unde longe aberrant a vero qui nostram de Hermanni monachatu Augiensi sententiam vocant novam, putantque primum ab eo qui Francofordianam editionem promovit inventam. Hoc enim melius refelli non potest quam si vetera inspiciantur exemplaria, quæ aliquot centenis annis ante Francofordianam editionem scripta sunt, quæque Hermanni monachi Augiensis nomen in fronte exaratum gestant. Tale exemplar reperitur Augustæ apud S. Udalricum, ex quo Henricus Canisius suam editionem exscripsit. Tale etiam fuit illud quo Urstisius fuit usus, talia fuerunt ea quæ Arnoldus Wion se vidisse aut legisse asserit; talia sunt multa

hinc inde in variis bibliothecis asservata. Quomodo ergo (quod quidam dixit) nemo unquam dubitavit Hermannum fuisse S. Galli monachum antequam ejus Chronicon Francoforti prodiret? Verius proinde dixerim ego ante Trithemii tempora neminem existisse qui non crederet Hermannum fuisse Augiensem, quod antiqua exemplaria, de quibus modo dixi, docere possunt. Porro ut tandem controversiam hanc finiamus, audire etiam ultimo liberet quæ San-Gallenses argumenta, quas rationes quosque antiquos codices pro se abducant, quibus Hermannum sibi ascribant. Hactenus enim nihil allatum est quo San-Gallensis probaretur. Quare si etiam sciretur non fuisse Augiensis, nondum tamen constaret esse San-Gallensem. Unde præposteram esse censes eam disputandi rationem, quando audacter quidem alienæ sententiæ, quantumvis munitæ, insultatur, propria vero negligitur, nullisque argumentis obfirmatur. Si ergo San-Gallensium rationes nostris aliquando efficaciores perspexerimus, nemo ambigat nos veritati libenter locum daturus, litemque mox omnem sepulturos. Veruntamen donec ab iis certiora inveniantur, noster maneat tantisper Hermannus, et cum speremus fore ut vix certiora inveniant, nobiscum etiam perennabit.

APPENDIX.

Jam a me isthæc controversa de Hermannii professione concertatio finita erat, et sæpius memorato R. P. Mezlero San-Gallensi transmissa, ut, si quid minus in ea videretur firmum et solidum, annotaret, ac contrariis, si robustiora haberet, argumentis refereret. At nihil ille, præter antiquam illam suam toties repetitam crambem recoxit, asserens verba illa Chronici, quibus supra fusius relatis probaveramus Hermannum Augiensem esse, non esse fetum Hermannii, addiditque totam reliquam Chronici partem quæ est ab anno 1040 esse supposititiam, et auctarii loco ab aliquo alio superadjectam; quod evidenter ratus est inde se demonstrasse quod videlicet in antiquiori Chronico mors et laudes Hermannii ad annum Christi 1054 descriptæ inveniantur. Hoc autem certe Hermannum præstare nequaquam potuisse, sed necessum esse ab alio factum; de quo ego plane non ambigo, et libenter ipse fateor mortem ejus ab alio esse descriptam, sicut et alia quæ ejus obitum secuta sunt. At intelligere ego nulla ratione possum cur statim etiam ea omnia quæ mortem ejus præcedunt, ab anno scilicet 1040 usque ad annum 1054, in quem obitus ejus incidit, Hermannio adjudicanda sint. Equidem suspicor non aliam ob causam hoc excogitatum quam ut verba illa anno Christi 1048 posita, quibus Hermannum Augiensem fuisse aperte conviceramus, spuria et incerta redderentur. Unde si nihil aliud superasset, totum sententiæ nostræ fundamentum rueret, et per consequens San-Gallensium opinio fortior evaderet. Si dicas diversitatem styli et methodi diversum etiam auctorem loqui, dicam ego stylum et methodum eandem, eundem auctorem clamare, quod

A certissimum est, et in Chronico auctiori per Canisium edito, et nunc etiam tom. IX Biblioth. Patrum inserto manifeste apparet, prout æqui et sapientes rerum censors, quorum arbitrio iudicium nostrum libenter subjicimus, dispicere possunt. Verum quidem est ordinem in antiquiori illo Chronico ab anno 1040 ad finem usque longe videri diversum, tum quod multo fusior et longior hic sit, tum etiam quod in antecedentibus singulos etiam annos regiminis Romanorum imperatorum apposuerit, qui in posteriori parte omisi sunt, Christi annis solummodo notatis. At revera Chronicon novum et auctius nunc vulgatum, quod pro genuino et legitimo Hermannii fetu habendum est, ubique sibi simile prorsus est. Causa vero quare in posteriori parte prolixior sit,

B sine dubio illa est, quod ea quæ recentiora fuerunt, et ætate sua evenerunt, explicatius et majori cura sibi duxerit scribenda, quam ea quæ ab orbe creato ad sua usque tempora contigere, quæ, ut opus suum chronologicum omni ex parte perfectum appareret, compendiosissime potius attingere quam exponere studuit, quod nimirum sciret ab aliis antiquioribus hoc uberius præstitum, illud vero minime. Ad hæc non possum non mirari cur Hermannus, qui ad usque sua tempora succincte quidem, sed accurate historiam suam perduxit, ea, quæ suo ævo acciderent, prætermisisset dicatur. Quis enim sibi persuadent hominem laboris cupidum et historiæ amantem totis 14 annis, quibus ab anno Christi 1040 inter vivos adhuc fuit, a scribendo cessasse et otiatum fuisse? C At vero, ut conjecturas alias intactas relinquamus, aliud inseparabile argumenti robur se nobis offert, quo adversariorum male fultam opinionem facillimo negotio subruamus, quod credo illos dissimulasse potius quam non advertisse. Tam enim perspicuum est, ut etiam a modice in historia versato non possit non deprehendi. Et quodnam, inquires, illud? Hoc certe quod in illa, quam negant Hermannii telam esse, Chronici posteriore parte ad annum Christi 1052 mors Hiltrudis comitissæ, Hermannii matris, talibus verbis describitur qualibus nemo alius præter Hermannum, utpote ejus filium, uti potuit. Ex quibus proinde clarissimum fiat eam Chronici partem nemini nisi Hermannio posse ascribi. Verba autem sunt ista: *Eodem tempore v Idus Januarii mater mea Hiltrudis, Wolferadi comitis uxor admodum pia, diem ultimum clausit, etc.; cui ut pro epitaphio hos scribere versus libuit:*

Mater egenorum, spes auxiliiumque suorum, etc.

Hæc ille.

Fateantur ergo necesse est istud epitaphium Hermannii esse fetum, sicut et dicta verba ad Christi annum 1052 de Hiltrudis obitu dicta. Hoc cum ita se habere fateri adversarii velint nolint cogantur, quis non videt optime sequi verba quoque superius sæpius inculcata, quibus illum Augiensem feceramus, Hermannio esse attribuenda, cum ea quæ sequuntur, quæque antecedunt, absque ulla controversia

ab omnibus Hermannii esse censeantur? Quo vero Hermannus loco historiam suam terminaverit, meum non est definire, cum hoc ad tricam nostram exterrinandam nihil momenti asferre possit. Nihilominus tamen certum esse debet cum adhuc annum 1052 inchoasse, quod ex obitu Hiltrudis ibi descripto liquere potest, annum vero 1054 non complese; quod itidem inde constare potest quod eo anno mortuus scribatur. A quo vero mors ejus fuerit adnotata, et reliqua deinceps appendix adnexa, me fugit. Modo scire sufficit ea omnia, quæ annum 1054 præcedunt, germanam Hermannii telam esse, quæ auctorem ipsa suum Augiensem fuisse monachum manifeste prodat. Restaret nunc porro novum alium cujusdam Crispiniani errorem propulsare, nisi ipsa sui absurditate ab omni peritorum historicorum schola exploderetur. Fabulatur enim iste auctor Hermannum nostrum non modo cœnobitam San-Gallensem fuisse, sed præterea somniat illum ejusdem S. Galli monasterii abbatem et dein præsentem Constantiensem factum, prout Augustinus Wickman Antuerpiensis, canonicus Norbertinus, in suo Sabbatino Mariano, imperrime typis evulgato, eum refert et sequitur. Siccine quæ nocturnis somniis obijciuntur, aut anus commentatione confinguntur, historicorum etiam mox pro pura puta veritate et indubitatis oraculis venditare? Hæcne bonorum consuetudo auctorum, ut quæ triviali ejusdem stiptis cerebello efficta circumferuntur, mox calculo quoque suo soleant approbare et per omnium ora promulgare? Nequaquam bonis viris est hoc in more

A positum; sed solent illi quæ sunt incerta examinare; quæ vera, approbare; quæ falsa, e suis scriptis eliminare ac exturbare. Sed pudet nœniis ac deliramentis istis diuturnius inhaerere quæ ratione et fundamentis omni carent, veterumque scriptorum nemo unquam quid simile vel scripsit vel dictavit. Legantur qui de rebus San-Gallensibus scripserunt, perlustrentur accuratissime qui antistitum Constantiensium aut catalogos aut historias composuere; evolvantur exquisitissime a capite ad calcem usque, et mentiar ego si sententiam, si verbum, si litteram hoc super commento dixerint aut scripserint. Quare cum ipsi San-Gallenses rerum suarum scientissimi de præsulatu San-Gallensi Constantiensique per Hermannum administrato nihil memorent, et ex albo suorum abbatum eum excludant, quis exteris adeo sit stupidus qui se hoc melius scire profiteri audeat?

Manet ergo firmum, ut tandem rem totam finiamus, Hermannum neque abbatem, neque episcopum fuisse creatum unquam, sed monachum Augiæ duntaxat permansisse. Quod si quis allatis in mediura argumentis probet eum aliquandiu in cœnobio quoque San-Gallensi degisse, ut quosdam cum Martino Crusio in Annalibus Suevicis scio sensisse, non habebit me veritati contradicentem, sed maxime sibi astipulantem. Quoniam autem hucusque, ut etiam supra monui, nihil quod eorum sententiam stabili-ret, inveniri aut excogitari potuit, remanebit Hermannus alumnus et filius S. Marci Augiensium titularis, ut quem patronum ipse suum agnoscit, nominat, et supplex veneratur.

NOTITIA LITTERARIA.

(Apud Fabricium, *Biblioth. med. et inf. Lat.*)

Hermannus, a debilitate membrorum qua laboravit ab infantia dictus *Contractus*, filius comitis Vorin-gensis et Sulgoviensis in Suevia, monachus S. Galli primum, deinde Augiæ Majoris sive Divitis, ord. Bened., præstans ingenio, Latinæ, Græcæ et Arabicæ peritus linguæ, et qui variis scientiis animum excoluisset. Diem obiit an. 1054 in prædio suo Aleshu-sano (1). De eo Trithemius cap. 324 de S. E., et II, 84, illustr. Benedictin. et De scriptoribus Germ. cap. 41; et ex recentioribus, ut innumeros notissimosque præteream, Nic. Hieron. Gundlingius in Gundlingianis tom. I, pag. 51 sq., et B. Joannes Hubnerus noster in Bibliothecæ Historicæ centuria III, pag. 71 seq. Inter opera ejus præcipuum est *Chronicon de sex mundi ætatibus*, quod ab rerum originibus perduxit ad annum Christi 1054. Ejus D variæ et aliæ aliis locupletiores exstant editiones, quoniam auctor ipse intercedente tempore videtur opus suum repastinasse vel locupletasse. Prima editio ex codice S. Galli lucem vidit edente Joan. Si-

chardo Basileæ 1529-1556, cum Chronico Eusebii et Hieronymi quod Hermannus, sicut Prosperi, Jordanis et Bedæ quoque in A. C. 726 desinentis diligenter est secutus. Deinde in tomo uno Joannis Pistorii Francof. 1583-1613 (et curante V. C. Burchardo Gottlieb Struvio, Ratisbonæ 1726 fol.) cum continuatione ab anno 1054 usque ad annum 1065. Ex meliori hinc codice cœnobii S. Georgii prope Rothwilam, Christianus Urstisius inter scriptores rerum Germanicarum, Francof. 1584 et 1670. Tomo priore Chronicon Hermannii locupletius edidit veteri editione per columnas ex adverso posita, subjunctaque præter continuationem Anonymi ab anno 1054 ad 1065, etiam alia Bertholdi presbyteri Constantiensis ab anno 1053 usque ad annum 1100. Denique Henricus Canisius ex codice biblioth. S. Afræ et Udalrici Augustano Chronicon hoc melius atque locupletius edidit Ingolstadt. 1601 4°, tom. I Lectionum antiquar. (tom. III editionis novæ, pag. 193) cum continuatione priore usque ad annum 1066. Canisii

(1) Vide Pagium ad annum 1054, n. 10.